

TERTIA CONGREGATIO PATRUM CONCILII

*Die 17 septembris anni 1900, congregatio vespertina*

Dicta ab Excellentissimo Praeside oratione "Adsumus", legitur gallice et anglice relatio congregationis pomeridiana : approbatur a Patribus non secus atque Manuale practicum ex toto ita tamen ut tenor decreti septimi de secreto servando et libello restituendo intelligatur de promissione solenni, non de vero iurejurando. Petentibus pluribus inter Patres, quidam theologi ab una commissione ad aliam moti sunt. Index vero cum ultimo loco describendus adprobabitur in congregatione proxima.

Tum Excellentia Sua Reverendissima magni momenti negotium indicat : scripsisse scilicet Eminentissimum Raphaëlem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Merry del Val, Sanctitati Suae a secretis Status, die vigesima secunda augusti litteris sub numero tricies novies millesimo ducentesimo vigesimo secundo suaderi a nobilissimo viro laico ut archiepiscopi et episcopi Canadenses, quando sunt adunati in Concilium plenarium, dicant Suae Majestati Regi et Imperatori Eduardo Septimo, quantum ipse auctur ab universis catholicis in Dominio Canadensi viventibus, quantum omnes illi sint fideliter subditi, quantique faciant eam qua regnante Britannia libertate fruatur Ecclesia Catholica, signanter in tota qua late patet regione Canadensi. Ita faciendum universi Patres judicant. Breve nuntium sub oceano vibrandum major Patrum numerus praefert epistola : quem nuntium paucis verbis concipiet Reverendissimus Dominus McEvay, archiepiscopus Torontinus, et referet ad Patres in Congregatione particulari feria secunda proximae hebdomadae.

Unanimes quoque Patres sanxerunt scriptum iri ad eandem Majestatem Suam regem Britanniae desiderare se cum omnibus episcopis, clericis, catholicis Angliae, ut expungatur a formula iurisjurandi quod Rex Britanniae nuncupat quum coronatur, quidquid contumeliae ea formula irrogatur quibusdam doctrinis nostrae catholicae fidei qua nihil nobis est antiquius. Scribent Peterboroughensis et Chicoutimiensis epistolam a congregatione Patrum approbandam.

Facta prece discessum est.